



Rupertus apud Vuirtembergenses Schoren-
 dorffij natus et educatus est. Is cum felici inge-
 nio esset præditus, prima literarum fundamenta in
 patria iecit, atq; studiorum causa sese postea ad ce-
 lebrem Tubingensem academiã contulit. Ibi ma-
 gna diligentia, post artium & linguarum cognitio-
 nem, studio Theologico incubuit, & nihil intermi-
 sit, quod ad ingenij capescẽdi cultum pertinere vi-
 deretur. hinc etiam factum, ut omnium consensu
 Theologiæ Doctor creatus fuerit. Huic doctrinæ
 Rupertus uitæ innocentiam & naturalem facun-
 diam adiecerat. Id cum illustribus. princeps Carolus
 Badensis marchio intellexisset, eum Pfortzensẽ
 pastorem constituit, & Ecclesiarum suæ ditionis Superintendentem declara-
 uit. Hanc uocationem Rupertus modestè suscepit, & ut omnia ritè & decen-
 ter in Ecclesia peragerentur, curauit. Itaq; eius loci incolæ huius uiri pietatem
 & doctrinam, cum anno 1565 ibidem essem, summopere prædicarunt, &
 mihi commendarunt, ut meritò hoc in loco eius mentio fa-
 cta sit. Anon.